



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Candidatus Abbreuiatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,  
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.  
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

**Pichler, Vitus**

**Augustae Vindel., 1733**

Titulus XLIX. De Immunitate Ecclesiarum, Cœmeterii, & Rerum ad eas  
pertinentium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)

tes ultra congruam sustentationem redditus ab Ecclesia, item Patroni, Decimatores, ac alii pro rata fructuum, quos quomodocunque ex tali Ecclesia provenientes percipiunt. 3. Si nec illi superfluos, nec isti ullos redditus ab Ecclesia percipiant, obligatio incumbit populo & parochianis Sacramenta aut alia Divina percipientibus in tali Ecclesia. Trid. *f. 21. c. 7. de ref. c. 1. 3. 4. h. t. caus. 10. can. 10. q. 1. & can. 1. seqq. q. 3.* Sed nota, ante prædictos obligari illos, qui vel ex conventionibus vel statuto, vel consuetudine ad reparacionem adstringuntur. Item observa, decimatores Laicales seu, qui Decimas penitus sæcularizatas percipiunt, sive sint Laici sive Clerici, seclusa consuetudine contraria probabilius non teneri concurrere. Nav. *de re dit. Eccl. n. 5. 57.* & teste Zypæo *de Paroch. consult. 4. n. 2.* plerique DD. ex ratione, quia tales decimæ ab Ecclesia & officio spirituali avulsæ non amplius sunt proventus Ecclesiæ, sed bona merè temporalia, oneri bonorum & proventuum Ecclesiæ non amplius annexa, & habent se instar patrimonialium. Decet tamen, ut & illi ubi opus est, concurrant.

## TITULUS XLIX.

*De Immunitate Ecclesiarum, Cæmeterii, & Rerum ad eas pertinentium.*

### SUMMARIUM.

I. *Quid & quotuplex sit Immunitas Ecclesiastica.*

2, *Im.*



2. Immunitas Asyli est introducta Jure Humano.
3. Quibus locis.
4. Et quibus personis concessa sit.
5. Recensentur crimina asylò privantia.
6. Quid recens ordinaverit Benedictus XIII.
7. Quid requiratur ad extractionem asylò non gaudentis.
8. Pœna non debitò modò extrahentium.
9. Personæ Ecclesiasticæ ab oneribus personali-  
bus.
10. Et Realibus ac Mixtis immunes sunt.
11. 12. Quæ Titulò jurisdictionis imponuntur, &  
de novo.

**I**mmunitas in genere est exemptio ab oneribus publicis, seu aliàs communibus. Et hinc Immunitas Ecclesiastica est jus seu exemptio, quæ personæ, res, vel loca Ecclesiastica ab oneribus secularibus libera sunt; siquidem triplex est.

1. *Personalis*, quæ gaudent personæ Ecclesiasticæ, & maximè consistit in privilegio *Fori*, vi cuius ad forum & Judicem sæcularem trahi nequeunt, de quo ad *tit. 2. lib. II. de for. compet.* & in privilegio *Canonis*, vi cuius violentas manus Clerico injiciens excommunicatur, de quo ad *tit. 39. lib. V. de sent. Excomm.*

2. *Realis*, quæ gaudent Res Ecclesiarum & Ecclesiasticarum personarum, ita ut exactionibus Sæcularium non subjaceant, de qua in *hoc. tit.*

3. *Localis*, quæ gaudent Ecclesiæ & Cæmeteria in tantum, ut actus profani, & locum sacrum decedentes in iis exerceri prohibeantur, & maximè, ut Rei confugientes ad illas sint securi, ac per violentiam indè abstrahi non possint.



possint. Atquæ hæc vocatur propriè *Immunitas Ecclesiarum*, vel *jus Asyli*, vel *Asylia*, utpote introducta ad imitationem asyli Civitatibus Refugii in antiquo Testamento concessi. Et de hac pariter tractatur in *hoc titulo*, & quidem secundùm Rubricam primo loco. De qua proin.

- 2 Dico I. Immunitas Asyli non est Jure Naturali, nec, in novo Testamento, Jure Divino introducta, sed tantùm Jure Ecclesiastico & Civili, scilicet in *can. 6. 8. 9. 35. 36. caus. 17. q. 4. c. 6. 9. & c. h. t. & t. t. C. de his, qui ad Eccles. confug.* Regulata autem specialiter à Gregor. XIV. in *Const. Cùm aliàs* edita anno 1591. Quòd Juris Naturalis, & Divini in Lege Nova, non sit, probatur negativè. *Objic. 1.* Jus Naturæ dicitur, Ecclesiis & locis sacris deberi reverentiam: ergo illuc se recipientes securitatis causâ non sunt indè avellendi. 2. Jus asyli in Antiqua Lege fuit Juris Divini. *Exod. 21. Num 35. Deut. 19.* Sed Ecclesia hoc Jus Divinum rursus instauravit in Nova Lege: ergo. *R.* ad 1. Natura quidem dicitur, Ecclesiis deberi reverentiam in genere, non autem quoad modum determinatum, consistentem in hoc, ut scelerati in iis sint securi à debita punitione; aliàs in nullo casu exinde abstahi violentè possent, quod nemo admittit. Dein non omne, quod lumen Naturæ dicitur conveniens esse, uti dicitur sceleratos, saltem aliquos, in Ecclesiis defendi, uti omnes Gentes agnoscunt, propterea, sub præceptum Juris Naturalis cadit. Ad 2. Ecclesia hanc Veteris Testamenti Legem *Judiciale* nec voluit nec potuit resuscitare, sed novam posuit.



suit ad imitationem antiquæ, sicut de Decimis solvendis dictum est ad *tit. de Decim.*

Dico 2. Ecclesiis omnibus, locisque sacris, & Religiosis, seu autoritate Episcopi constitutis, competit privilegium & jus Asyli, uti sunt *Templa*, etiam nondum consecrata vel benedicta, etiam construi solum cæpta, polluta quoque & interdita, item Ecclesiæ atrium, & quidem ad 30. vel 40. usque passus (sed hæc distantia in Praxi non observatur) item *Cæmeterium* legitimè erectum, etiam templo non contiguum, *Monasteria* & domus Religiosorum, horti, aræ, ædes &c. intra septa Monasterii existentes, *Oratoria* & *Capella* Episcopi auctoritate Divino cultui in perpetuum deputatæ, etsi existant in privatis ædibus, *Hospitalia* auctoritate Episcopi erecta cum Altari ad celebrandum; *Tabernaculum*, in quo asservatur acta Eucharistia, item *Palatia* Episcoporum. Ita communis ex *can. 6. seqq. can. 20. 21. 36. caus. 17. q. 4. c. 9. fin. h. t. c. 4. de Relig. dom. l. 3. C. de his, qui ad Eccl. l. 35. C. de Episc. & Cler.* Ratio est, quia hæc immunitas habenda est pro favorabili, utpote privilegium Principis, & quidem principaliter respiciens favorem publicum Religionis, consequenter latissimæ est interpretationis. per *c. 30. de privil. c. 16. de V. S. c. 15. de R. J. in 6. l. 43. ff. de Relig. & sumpt. fun.* proin *Ecclesia* hoc loco latè accipi debet; consequenter ex eodem principio necesse non est, ut confuga in ipsam Ecclesiam &c. jam actu se receperit, sed sufficit, si januam v. g. jam apprehenderit.

*Objic. I.* Immunitas Asyli impunitatem præstat delictis, quæ Jus Naturale & Divinum pu-



puniri exigit, præbetque occasionem delinquenti: ergo est noxia Reipublicæ: ergo odiosa & strictæ interpretationis. 2. Bonum publicum exigit puniri scelera, & immunitas cedit in favorem privatorum: sed bonum publicum præferri debet, & magis est favorabile, quàm privatorum: ergo. R. ad 1. Jus Naturale & Divinum non exigit absolutè puniri omnia delicta ac semper, præsertim quando impunitas indulgetur intuitu Religionis & ex reverentia erga loca sacra aliàs nec DEUS in antiquo testamento potuisset templo & altari aut civitatibus refugii asylum concedere. Nec Ecclesia omnes delinquentes protegit, uti videbimus, quos autem protegit, non omnino impunes esse præcipit, sed relinquit in salvo pœnas pecuniarias, infamiæ, proscriptionis, confiscationis bonorum &c. Si quidam scelerati sumant inde occasionem audaciùs delinquendi, per accidens est, & retorquetur in immunitate Veteris Testamenti ab ipso DEO inductæ. Nec Ecclesia intendit per se favere sceleratis, quibus per accidens obtingit favor, sed spectat reverentiam locis sacris debitam, dum concedit quibusdam in iis asylum. Ad 2. Bonum publicum etiam exigit, & magis, Ecclesias non violari per violentam ad eas confugientium extractionem, earumque favor etiam est publicus, aliis præferendus, cum *summa sit ratio, quæ facit pro Religione*. l. 43. cit. privatis hominibus directè & per se non intendit favere Legislator humanus per asylum Ecclesiis indultum.

4 Dico 3. Immunitate asyli gaudent omnes Christiani utriusque sexûs, qui confugiunt ad Eccle-



Ecclesias, rei alicujus criminis, quod mortem, mutilationem, aut pœnam æquivalentem, vel carcerem aut vincula promeretur, in ordine ad effectum, ut recipi debeant, & esse securi in sua persona, nisi nimirum rei sint criminis excepti, & asylò privantis. Iterum communis ex l. 1. 6. C. de his, qui ad Eccles. c. 6. h. t. can. 36. & Const. Cùm aliàs Gregor. XIV. citt. atque ex præacta ratione, quia hæc immunitas est favorabilis, & latæ interpretationis. Dixi 1. *Christiani*; probabiliùs enim meò judiciò non gaudent Infideles, seu non-baptizati, uti Judæi, Pagani, Ethnici, nisi ad Ecclesiam confugiant animò seriò se convertendi ad Fidem Catholicam. per l. 1. cit. juncto c. 6. cit. ibi: *juxta sacrorum statuta Canonum, & traditiones Legum Civilium*: ergo Jus Canonicum approbavit legem Civilem allegatam, ubi excluduntur asylò Infideles, qui Baptismum *simulatè* petunt: ergo non, si seriò petant. Hæretici ob aliud, quàm hæreseos, crimen se recipientes ad locum sacrum pariter defenduntur. Dixi 2. *Omnes*, adeoque & excommunicati, etiam vitandi, personaliter interdicti &c. quia hoc privilegium est locale, non personale. Milites quoque desertores, qui jam reos se fecerunt actualis desertionis, & ad evitandam pœnam, vel capturam, se in locum sacrum recipiunt: si tamen necdum actualiter priùs deseruissent militiam, sed solum ab ea liberare se, & subducere, intenderent confugiendo ad locum Religiosum, repeti à Ducibus possunt, & præstitò de impunitate (quod intelligo de non infligenda morte, vel æquivalente, vel alia valde gravi pœna) juramentò reddi debent: secus à Ducibus poterunt occupari.

arg.



arg. d. c. 6. in fine; quia milites personaliter sunt adstricti Ducibus, sicut servi Dominis, qui ab his aufugientes absque periculo, ne tradantur Judicibus ob grave delictum, non proteguntur ab Ecclesiis. l. 6. cit. §. 5. Dixi 3. *Rei alicujus criminis* &c. Quò etiam referas debitores Civiles, si periculum sit, ne conjiciantur in vincula, vel carcerem, per l. 1. 6. & can. 35. 36. cit. non obstante, quòd suà culpâ contraxerint debita; quia Gregor. XIV. in d. *Const.* quæ est Jus Novissimum, omnes asylos non gaudentes specificans, hos debitores non expressit, & sic non exceptit. Dixi 4. *in ordine ad effectum* &c. nam effectus & commoda asyli sunt, quòd confugæ ad Ecclesiam, Monasterium &c. recipi debeant, & repelli non possint citra excommunicationem reservatam *Extrav. 3. de Penit.* quòd alendi sint ex bonis Ecclesiæ, Monasterii &c. si aliunde alimenta habere nequeant: quòd capi, vinculis constringi, extrahi, vel extrahi in viti non possint. can. 6. 8. *seqq. caus. 17. q. 4. Constit.* Greg. XIV. cit. minus ad mortem condemnari; quamvis licitè fiat executio in ipsorum bonis: imò teste P. Wiestner *h. t. n. 157.* cum aliis consuetudine in quibusdam locis receptum est, ut Curia Sæcularis contra existentem in Asylo procedat per inquisitionem & citationem, atque in non comparentem habita sufficienti probatione delicti sententiam proferat, licet exequi penam, si capitalis sit, non valeat. Dixi 5. *Nisi rei sint criminis* &c. Quænam autem delicta privent asylo, penes quam sit cognitio & decisio, an privent asylo, & quomodo talis delinquens sit extradendus Judici Sæculari, deinceps dicemus. Interim

Objic.



*Objic.* 1. Excommunicati vitandi ne quidem ingredi permittuntur Ecclesiam; ergo à fortiori non conceditur ipsis protectio in Ecclesia. 2. Si omnes Christiani gaudent asyliâ, etiam gaudebunt Clerici & Religiosi: sed isti non gaudent, ut docent multi cum Panormit. *in d. c. 6. n. 13.* & infirmare videtur *Const. Greg. XIV. cit.* quæ est norma immunitatis asyli, dum expressam facit mentionem *Laicorum*, adeoque ad hos restrictivam. R. ad 1. Nun permittuntur Ecclesiam ingredi formaliter, h. e. ut intersint Officiis Divinis &c. *C. Ant. materialiter*, ut ibi sint securi. *N. ant. & conf. Ad 2. dist. min.* Clerici & Religiosi non gaudent contra Judices Ecclesiasticos, & Superiores suos, ne afficiantur pœnis Ecclesiasticis secundum sacros canones, v. g. expressis *c. 1. de calumniat. c. 2. de Regular. in 6. &c.* & ne puniantur secundum Constitutiones Ordinum Religiosorum. *C. min.* contra Judices Laicos, ita ut his extradi possint à suis Superioribus, atque sic puniri secundum Leges Civiles *N. min.* non enim debent esse deterioris conditionis quàm Laici. Neque dicta *Constit. Gregoriana* Clericos & Religiosos excludit ab asylo, sed *Laicorum* præcisè ideo facit expressam mentionem, quia solùm Laicis (non verò Clericis) denegabant Judices Laici sub prætextu privilegiorum immunitatem localem, ac extrahere solebant ex asylo. P. Schmalzgrueber *h. t. n. 165. seq.*

Dico 4. Asylò non gaudent rei criminum *exceptorum*, ut vocantur, quæ specificantur in allegata *Constit. Gregor.* nimirum 1. Publici latrones, qui nempe in publicis viis rapinæ causâ ex

Pars II.

P

in.



infidiis aggrediuntur homines, & resistentes occi-  
 dunt. 2. Viarum grassatores, *Landt-Strassen-Rauber* / qui quidem in publicis  
 frequentatis viis per insidias aggrediuntur homi-  
 nes prædæ causâ, sed non occidunt, per quod  
 ferunt à prioribus. 3. Depopulatores agrorum  
 seu qui segetes agrorum, fructus vinearum &c.  
 ex proposito devastant, Atque hæc tria delicta  
 debent esse notoria vel notorietate Juris vel no-  
 torietate Facti. 4. Qui faciunt homicidium, ve-  
 mutilationem membrorum, in ipsis Ecclesiis &  
 cæmeteriis ex proposito. 5. Qui proditorie oc-  
 cidit proximum suum, h. e. ut longè communiter  
 intelligit, non solum ex proposito & per insi-  
 dias, sed sub specie amicitiae, seu qui occidit ami-  
 cum, scilicet simulando amicitiam, fidelitatem  
 &c. ita ut alter nihil tale suspicatus fuerit, vel  
 qui per insidias occidit eum, cui ratione status  
 conditionis, muneris specialiter est obligatus  
 amicitiam aut fidelitatem, ut si parens occidat  
 prolem, conjunx conjugem, familiaris familiarem  
 caupo hospitem, aut alius commilitonem, itinerantem  
 socium &c. Et hanc communissimam sententiam  
 fusè probavi in *meo Candidato h. t. n. 16. 17.*  
 contra Hyppolitum Grasserum, Covar. Barbo-  
 & alios. 6. Assassini, seu qui pro pecunia vel  
 alia re temporali, promissa vel data, occidunt ho-  
 minem, vel in hunc finem promittunt vel dant pe-  
 cuniam, adeoque tam conducens, quam conduc-  
 tus pretiò, reus est assassinii a sylò privantis.  
 Hæretici, qui propter ipsum hæreseos crimen ad  
 Ecclesiam se recipiunt; quod tamen in nostra  
 Germania, ubi crimen certarum hæresum nullum  
 timec



timet à Judicè Sæculari, non procedit. 8. Rei læsæ Majestatis, h. e. qui in personam ipsius Principis (quo nomine veniunt omnes in sua jurisdictione Superiorem non recognoscentes, plerumque in suo territorio jus obtinentes) cui sunt subditi, delinquant per actionem injuriosam vel damnosam, v. g. percutiendo, vulnerando, carcerando, hostiliter insequendo &c. aut similes actiones mandando, auxilium præstando &c. ut habet communis. Præter hæc crimina nullum aliud, utut atrox, privat asyliâ secundum *d. Const. Gregorianam*, ut docet communissima; quia ipsa Constitutio voluit omnia in materia Immunitatis localis occurrentia tollere dubia, atque velut norma reducere omnia ad *unam tantum formam*, statuens, ut præcisè enumerata octo delicta privent asylò, *non alia, etsi æquipolleant in Jure expressis*, vel adsit *paritas, identitas, aut majoritas rationis*. Unde asylò proteguntur quoque blasphemi, perjuri, Simoniaci, percussores Clericorum, duellantes, incendiarii &c. item juxta communem illi quoque, qui furtum aut aliud delictum (præter occisionem aut mutilationem) committunt in Ecclesia: atque illi, qui propè Ecclesiam occidunt sub spe immunitatis, ad quam è vestigio convolare possunt; quamvis enim isti delinquant in legem, non tamen eo modo delinquant, qui à Jure privatur asylò; & quamvis in *c. fin. h. r.* Summarium generaliter pronuntiet, *qui sub spe immunitatis in Ecclesiis vel cœmeteriis delinquant, immunitate non gaudent*. Gregor. XIV. tamen in *d. Const. Cum alias*, hanc generalitatem restrin-



xit ad sola homicidia & mutilationes in ipsa Ecclesiis commissas.

¶ Quamvis autem ista ita se habeant, paucis tamen abhinc annis Benedictus XIII. nuper piissimus defunctus novam de hac materia Constitutionem, quæ incipit, *Ex quo*, edidit anno 1721 Concilio Romano à se celebrato insertam, ubi confirmat quidem famosam & sæpius citatam *Constitut. Greg. XIV.* aliqua tamen delicta, de quibus *Constitut. Gregor.* inter DD. dubitatum est, an privent asylò vel non, declarat privare, & alia non adjicit, quorum reis non indulget immunitatem. Itaque declarat 1. pro latrone publico, & viarum grassatore, in ordine ad privandum asylò habendum esse illum quoque, qui unicam tantùm gratificationem in via publica aut vicinali commisit secuta occisione vel mutilatione. 2. Eos etiam non gaudere, qui stantes in Ecclesiis vel cæmeteriis occidunt vel mutilant existentem extra, ac vicissim stantes extra occidunt vel mutilant existentem intra Ecclesiam vel Cæmeterium. 3. Illos, qui ad Ecclesiam confugientibus vim inferunt, & ipsos à loco immuni vel Ecclesia violenter extrahunt. 4. In crimine Assassini non modò mandentarios, sed etiam mandantes promissa vel data mercede, modò assassinium re ipsa patratum fuerit, seu occisio secuta. Nova autem statuit delicta asylò privantia hæc. 1. Siquis interficiat proximum suum animò præmeditatò ac deliberatò. 2. Siquis falsificet Litteras Apostolicas, 3. Si minister Montis pietatis, publici telonii, aut Banci pro Principis privatarumque personarum depositis destinati, furtum aut falsitatem in prædictis locis



locis committat ita notabiliter, ut pœnæ ordinariæ locus sit. 4. Siqui conflant, adulterant, vel condent quascunque monetas aureas vel argenteas, etiam Principum externorum, vel qui ipsas monetas conflatas, adulteratas, aut detonsas, ita scienter expendunt, ut fraudis conscii atque participes censi possint. 5. Siqui sub nomine Curia in alienas domos se introducunt, animò ibidem perpetrandi rapinas, easque re ipsa committunt cum homicidio, aut mutilatione membrorum alicujus ex domesticis, vel etiam extranei, quem ibi fortè reperiri contigerit. Sed hæc nova Constitutio Benedicti XIII. sicut in his nostris partibus, quantum mihi constat, specialiter promulgata non est, ita an recepta aut in usum deducta sit, dubito (sicut tamen in Praxi hucusque observatam fuisse scio Constitutionem Gregorianam.) Unam tamen scio diœcesim, in qua conformiter dictæ Bullæ binis vicibus Episcopali auctoritate ex asylo extraditi sunt, qui homicidium præmeditatum commiserant, uti vir magnus mihi retulit.

Dico 5. Casu quo dubium est, an confuga ad Ecclesiam sit reus delicti excepti (imò & quando certum est, quòd crimen sit exceptum, asyli privativum) tamen extradi vel extrahi non potest, nisi priùs desuper cognoscat & pronuntiet Episcopus, ad quem privativè hæc pertinet cognitio. 2. Si tamen certum sit, crimen esse exceptum (vel etiam dubium ex indiciis valde magnis pro delicto excepto) ac Judex sæcularis extraditionem petat, debet Rector Ecclesiæ, requisitus à Curia Sæculari, talem Reum cautè custodire ad-



hibito etiam carcere, donec causa ab Episcopo decidatur. 3. Secuta hac decisione necdum extrahere potest Judex Sæcularis, nisi Episcopus dederit licentiam, & intervenerit persona Ecclesiastica, v. g. Rector Ecclesiæ, quæ Reum extrahat. 4. Si tamen vel Episcopus notoriè reus delicti excepti licentiam extrahendi dare nolle, vel Rector Ecclesiæ post datam ab Episcopo licentiam recusaret extradere ac intervenire, possit Judex Laicus delinquentem nihilominus extrahere, minori tamen, quo id fieri poterit, scandalo & tumultu. Ita communis ex *cit. Constit. Gregoriana*, à qua parùm abluat Benedictina, sed in plerisque convenit, licet non omnino in omnibus, dum nempe pro casu, quo modè liter credibile, non verò penitus certum est, crimen esse exceptum, permittit & jubet extrahere delinquentem Judici Sæculari exigenti, modo iste in forma Juris validè se obliget ad eum Ecclesiæ restituendum, si postea diluantur indicia ex quibus delictum apparebat exceptum.

8 Dico 6. Judex Sæcularis mandans extrahi ex asylo aliquem, qui eo gaudet, Ministri item extrahentes, & quicumque cooperantes, non solum peccant graviter contra Religionem & Justitiam, sed etiam incurrunt excommunicationem laticentiæ, à qua non sunt absolvendi, nisi prius extractum restituerint Ecclesiæ & loco, ex quo extraxerunt. *can. 6. 8. 10. 35. caus. 17. q. 4. Constit. Greg. cit.* De Jure Civili statutum est ultimum supplicium. *l. 2. & 6. C. de his, qui ad Eccl. quan-* vis hæc pœna non sit in usu, & punitio hujus criminis relinquatur foro Canonico, sicut cognitio &



& iudicatio ad Episcopum spectat. Nunc de Immunitate Reali.

Dico 7. Clerici & personæ Ecclesiasticæ sunt immunes ab oneribus Sæcularium personalibus uti sunt census personales seu capitatio, *Kopff Steuer*/ viatica & telonia personis imposita, *angaria* & *parangaria*, seu operæ, *Scharwerck*/ *Grondienst*/ ire ad bellum, agere vigilias, præbere militibus hospitium in suis ædibus, fodere arenam &c. 2. Bona Clericorum Beneficialia, uti decimæ, redditus stola, stipendia Missarum &c. ab omnibus sæcularium exactionibus, uti & 3. Ipsæ Ecclesiæ & loca Religiosa, atque bona Ecclesiastica ad cultum Divinum immediatè ordinata, uti calices, & paramenta sacra &c. Ita plerique omnes, quia personæ Ecclesiasticæ quoad personam suam exemptæ ab omni jurisdictione sæculari, item loca & res sacræ, atque usibus sacris destinatæ, ut patet ex variis Juribus & communi sensu.

Dico 8. Ecclesiæ quoad bona sua temporalia (& Clerici quoad patrimonialia) de Jure gaudent immunitate reali; seu sunt exemptæ ab oneribus tum realibus tum mixtis, quæ titulò jurisdictionis de novo imponuntur à Magistratibus Laicis. Communis & certa, atque vix ab ullo Orthodoxo negatur propter claros textus in *c. 4. 7. x. c. 1. in 6. & Clem. un. h. t. c. 10. de Constit. c. 4. de Censib. in 6. ibi: cum igitur Ecclesia, Ecclesiasticæ quæ personæ, ac res ipsarum non solum Jure Humano, quin imò & Divino* (in thesi nimirum, sicut de exemptione Clericorum personali diximus ad *tit. 2. lib. II. de for. comp. n. 4. 5. 6.*) à sæcularium



*personarum exactioibus sunt immunes.* Coson  
 Jus Civile in *Auth. Item nulla post. l. 2. C. de Episc  
 & Cler.* Ratio est, quia res sequuntur conditio-  
 nem personæ: accessorium sequitur suum princ-  
 pale. *c. 41. de R. J. in 6. & quæ Religiosis adbe-  
 rent, Religiosa sunt. l. 43. ff. de R. V.* Cum igitur  
 Ecclesiæ & Ecclesiasticæ personæ juxta omnes  
 sint exemptæ à jurisdictione Sæcularium, etiam  
 res & bona ipsarum debent esse exempta acce-  
 soriè ab oneribus seu exactioibus Sæcularium,  
 quæ titulò jurisdictionis imponuntur; cum juris-  
 dictio immediatè & principaliter non in res &  
 bona, quæ jussionis sunt incapacia, sed in perso-  
 nas exerceatur, eò quòd à personis præstanda sint  
 tributa & collectæ rebus impositæ. Quòd si au-  
 tem Sæculares tali onere gravarent Ecclesias &  
 personas Ecclesiasticas, peccarent contra Religio-  
 nem & Justitiam, tenerentur ad restitutionem,  
 & incurrerent excommunicationem Summo  
 Pontifici reservatam. *c. 4. 7. Clem. citt. Bull. Co-  
 na &c.*

Cæterùm *onera realia* sunt. quæ ipsis rebus im-  
 ponuntur sine respectu ad personas ea possiden-  
 tes, v. g. fundis, agris, domibus, atque appellan-  
 tur *tributa, & contributiones ordinaria.* *Ordinaria*  
*Steur und Anlagen* / quò referuntur etiam *Ac-  
 cise, Aufschlag* / quæ imponuntur rebus usu con-  
 sumptibilibus vendendis, vino, cerevisiæ, carni-  
 bus &c. *Indebita, Umgeld* / quando ultra acce-  
 sas seu *gabellas pecuniarias* de potentis, vino  
 vel cerevisia, certa quantitas, v. g. de singulis ur-  
 nis 6. mensuræ, Magistratui vel Principi Sæcu-  
 lari pendenda est. *Mixta* autem dicuntur, quæ  
 vel



vel exigunt laborem personalem simul & sumptus, ut ire ad bellum propriis expensis, vel imponuntur subditis cum respectu ad ipsorum bona vel redditus annuos, adeoque personis immediate, rebus mediate, uti *collecta*, & *contributiones extraordinaria*, extraordinari-*Steuer und Unlagen*; nam *collecta* à Tributis in stricta acceptione differunt per hoc, quod non habeant præstationem seu pensationem certam, ac annuam, sicut Tributa, sed incertam, ob causam vel necessitatem fortè occurrentem. Huc quoque pertinent præstationes *Teloniorum*, nempe *Vectigalia*, *Zoll* / quæ exiguntur de bonis per terram, & *Portoria*, *Mauth* / quæ petuntur de bonis per aquas in-vel exportatis aut advectis.

Dixi I. *Qua titulo jurisdictionis imponuntur*; II si enim petantur *titulo dominii particularis*, ut si Ecclesia vel persona Ecclesiastica à Sæcularibus acquirat rem feudalem vel emphytevticam, tenetur ad onera feudi, vel ad canonem emphytevticum, laudemium &c. cum res transeat cum suo onere reali. *c. 5. de Pignor.* Aut si injungantur *titulo pacti*, vel *reservationis*, ut si quis Sæcularium donet, vendat &c. Ecclesiæ, vel personæ Ecclesiasticæ prædium cum reservatione pensionis vel annuatim vel pro casu necessitatis sibi solvendæ; pariter enim portandum est tale onus ab Ecclesia &c. quia quilibet de re sua disponere, ac in alium transferre cum-vel sine onere potest. Et hujusmodi pacta approbant Sacri Cænones. *c. 4. de condit. appos. c. 6. de donat. c. 23. de Jur. patr.* Denique si *titulo impensarum* aliquid exigatur in constructionem vel reparationem operum publi-



corum, ex quibus in singula Communitatis membra immediatè redundat aliquid utilitatis, vel emolumentum, cujusmodi opera sunt pontes, fontes, viæ publicæ, aquæductus, excubiæ tempore pestis agendæ &c. Ecclesiæ & Clerici à contributione non sunt immunes, sed concurrere debent iusta proportione, v. g. solvere pontenagia, *Bruckfen-Gelter* / pontivegia, *Uberfuhre-Gelter* / quidagia, *Werckgelter* / pedagia, vectigal delapidationis, *Pflaster-Zoll*; quia æquitas naturalis, imò pactum tacitum exigit, ut omnes & singuli contribuant, qui ex ejusmodi operibus commoditate perfruuntur, & indemnitas sit Princeps vel Magistratus, qui ejusmodi opera extruunt vel reparant: modò, quod bene notandum, nihil petatur à personis Ecclesiasticis ad faciendum quæstum, vel ad inferendum arario publico, vel ad solvenda debita Communitatis, vel ad sufferenda alia Reipublicæ onera, vel ad conservandum splendorem Familiæ Principis &c. hæc enim curare & procurare ad solos Laicos spectat.

*Objic. 1.* Si personæ Ecclesiasticæ debent contribuere ad ejusmodi Opera publica, tunc etiam debent in casu extraordinariæ & communis necessitatis vel utilitatis Reipublicæ, & quidem 2. ex titulo etiam jurisdictionis, quia gravis vel extrema necessitas tribuit jus auferendi bona temporalia à quocunque: sic utique etiam Clerici tempore famis possunt cogi ad vendendum frumentum, & ut permittant visitari sua granaria &c. 3. cum, qui sentit commodum à communitate, etiam sentire debeat onera. Unde 4. in can. 40. §. placet. caus. 16. q. 1. eximuntur  
qui



De Immunitate Ecclesiarum, &c. 235

quidem Ecclesiæ à tributo, sed cum limitatione, nisi quòd adventitiæ necessitatis sarcina repentina poposcerit. Denique 5. Clerici negotiatores non sunt immunes à vectigalibus, portoriis, gabellis &c. *arg. c. 4. de censib. in 6.* ergo qualitas Clericalis non eximit à tributis & contributionibus. Et ad 1. debent quidem concurrere in casu extraordinariæ & communis necessitatis, cui occurrendæ non sufficiunt facultates Laicorum, *titulò impensarum* & ut *membra* communitatis, vel ex æquitate naturali, aut pacto tacito; at non *titulò jurisdictionis*, & ut *subditi*, vel ex obligatione proveniente ex jurisdictione & potestate Sæcularium; nam his neque necessitas tribuit jurisdictionem in personas Ecclesiasticas. Ad 2. Extrema (non gravis præcisè) necessitas tribuit quidem jus auferendi bona etiam à Clericis, at non per viam jurisdictionis, sed solùm jure defensionis ad succurrendum Reipublicæ. Si autem necessitas non sit urgentissima, ita ut priùs licentia & consensus Papæ (vel, ubi est periculum in mora, saltem Episcopi) requiri possit, hunc consensum priùs petere oportet. *c. 4. & 7. h. t.* Ubi tamen Papa, vel Episcopus, qui in tali necessitate, ad quam avertendam non sufficiunt facultates Laicorum, consentire tenetur, consensum dedit, determinatio & exactio harum contributionum, uti & coactio Clericorum eas negantium, non à Laicis, sed à Superioribus Ecclesiasticis facienda est. *c. 4. c. 7. citt.* Idem proin tene de coactione ad vendendum frumentum, & de visitatione granariorum, non nisi à Superioribus Ecclesiasticis, & his consentientibus facienda.

Ad



Ad 3. limita regulam: nisi adsit justa causa vel privilegium eximens ab onere. Ad 4. Illum textum Gratianus desumpsit ex Jure Civili, proinde nihil præjudicare potest immunitati reali Ecclesiarum & Clericorum, ut patet ex *Prolegomenis*. Ad 5. Clericos negotiatores ipse Pontifex in Jure Canonico subjicit his oneribus: reliquos autem eximit cum Jure Divino.

12. Dixi 2. *Qua imponuntur de novo*. Novis itaque tributis collectis & exactionibus bona Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum onerari non posse à Laicis, certum est propter defectum jurisdictionis. Sed de *Antiquis*, quæ nimirum jam prius, quàm ad Ecclesias vel Clericos pervenerunt hujusmodi bona, iis certo & stabili modo imposita fuerunt à Laicis titulò jurisdictionis, magna est controversia, an his tributis & collectis obnoxia sint Ecclesiæ & Clerici? Negant Suar. Gutierrez, Felin. Tanner. & alii multi, quos nuper magnò zelò secutus est P. Ant. Söll in *tract. de Tributis p. 2. c. 3. à n. 174*. Affirmant P. norm. in *c. 4. cit. n. 16. & in c. 1. de Censib.* Wagener in *c. 1. h. t. in 6. P. Engel h. t. n. 25.* cum Innoc. Jo. Andr. aliisque compluribus, quibus & ego ad stipulor ex his fundamentis. I. ex *can. 21. 22. caus. 23. q. 8.* ubi Urbanus Papa sic ait: *de exterioribus suis, quæ palàm cunctis apparent, Ecclesiæ tributum reddit - - NB. quod constitutum antiquitus est, pro pace & quiete, quæ nos tueri & defendere debent, Imperatoribus solvendum est.* 2. ex *c. 1. de Censib.* ubi Presbyteri, siquid habent ultra decimas, domos, & hortos suos, & ultra mansum pro dote Ecclesiæ constitutum, jubentur inde se



rioribus debitum servitium impendere; notetur debitum, quod nempe bonis hujusmodi jam antecedenter fuit impositum. 3. *exc. 5. de Pignorib. & l. 20. §. 1. ff. de acquir. rer. dom.* ex quibus desumptum est hoc brocardicum, *res transit cum onere suo*: nempe talis qualis est. 4. *exc. 79. de R. J. in 6.* ibi: *nemo potest plus juris in alium transferre, quam sibi competere dignoscatur*: ergo, si Ecclesiæ vel Clericis obveniant bona, prius obnoxia tributis & collectis à Magistratu Sæculari impositis, cum isto onere jam prius imposito obvenient, cum ille, qui transfert, transferre nequeat sine hoc onere, cum ipse non habuerit sine hoc onere. §. ex communi praxi, saltem extra Italiam vigente, quam & nos in Germania experimur: Praxis autem & Consuetudo est optima Juris dubii interpretes.

*Objic. 1.* Quando fundus transfertur in Ecclesiam, cessat ratio adæquata exigendi tributa, à Laicis prius imposita titulò jurisdictionis, scilicet subjeção talium fundorum, & jurisdictio Magistratûs Laici: ergo. 2. Quando dispositio venit in eum statum, à quo initium ducere non potuit, evanescit. *l. 98. ff. de V. O. l. 85. §. 1. ff. de R. J.* Sed, quando fundus transfertur in Ecclesiam, exactio tributorum venit in eum statum, à quo initium ducere non potuit: ergo. 3. In *c. 12. de reb. Eccl. alien.* dicitur, quòd Laicis *nulla potestas competeat de rebus Ecclesiæ disponendi.* Et in *c. 1. h. t. in 6.* prohibentur Laici *quascunque exactiones imponere Ecclesiis, & Ecclesiasticis personis.* Similia habentur *c. 3. eod. in 6. & Clem. un. eod. c. 4. de Censib. in 6.* Cum ergo hi textus generaliter & indistinctè loquantur, generaliter quoque intel-

tel-



telligendi sunt sine distinctione inter exactiones  
 & tributa nova ac antiqua. *¶* ad 1. *N. ant.* nam  
 adæquata ratio solvendi tributa *antiqua* non fun-  
 datur in sola subjectione, sed simul in facta semel  
 impositione oneris tempore habili, qua nimirum  
 bona, & persona, quæ possedit, erat subiecta  
 Magistratui Laico, quam subjectionem supponit  
 quidem dicta impositio *in fieri*, non tamen *in con-*  
*servari*: semel legitimè impositum onus trans-  
 cum re, & transferens non potuit eam ab hoc on-  
 re liberare, & liberatam transferre in præjudicium  
 Magistratus Laici, cum nec ipse habuerit libe-  
 ratam. Ad 2. Evanescit in casu, quando dispo-  
 sitio dependet ab hac conditione, nisi res deven-  
 rit in alium statum. *transf. ma.* quando non ita de-  
 pendet. *N. ma.* Quòd imposito tributi facta sit  
 bonis à Judice Laico ex titulo jurisdictionis sub ista  
 conditione, *nisi hæc bona devenerint ad Ecclesiam,*  
*vel ad Clericos*, non constat, imò satis probari non  
 potest. Cæterum quòd universaliter verum non  
 sit, dispositionem evanescere, quando devenit in  
 statum, à quo initium ducere non poterat, patet  
 indè, quòd utique Matrimonium non evanescat  
 vel solvatur, si unus conjugum incidat in amer-  
 tiam, ac deveniat in statum, in quo contrahi non  
 poterat, item ex *l. 85. §. 1.* contra nos citata,  
 ibi: *non est novum, ut, quæ semel utiliter consti-  
 ta sunt, durent, licet ille casus exstiterit, à quo ini-*  
*tium capere non potuerunt.* Simile quid dicitur  
*§. 14. Inst. de Legat.* Ad 3. Licet illa Jura gene-  
 raliter loquantur, & generaliter intelligenda sint,  
 non tamen omni generalitate, sed solum eâ, quæ  
 respicit tributa *nova*. Ratio restringendi ad hæc,  
 &



& non extendendi ad *antiqua*, subministratur  
multiplex ex nostris Probationibus.

## TITULUS L.

*Ne Clerici vel Monachi Saculari-  
bus Negotiis se immisceant.*

### SUMMARIUM.

1. *Qua negotia Sacularia Clericis & Religiosis prohibita.*
2. *Speciatim qua Negotiatio.*
3. *Qua sint pœna illicitè negotiantium.*

**N***egotia Sacularia* in genere dicuntur hoc loco illa, quæ DEI famulos vel valde abstrahunt à rebus Divinis, vel eosdem minus decent, utpote contemptum aut vilipensionem Statûs Clericalis & Religiosi parientia, licet per se licita sint, & Laicis convenient. Et de his intelligendum est Pauli præceptum, *nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus. 2. Tim. 2.* Talia jam adduximus in *Tit. I.* hujus libri III. cui respondet hic ultimus, in quo specificantur, ac in specie sub certis, etiam pœnis prohibentur Clericis & Religiosis sequentia. 1. servire Principibus Laicis quoad ministeria laica, nisi territorium possideant sub Principe Laico; tunc enim Officia & Præfecturas suscipere non prohibentur, quia hoc modo varia impedire possunt præjudicia Statûs Ecclesiasti. 2. procuratores agere in tribunali-  
bus Sæcularibus, nisi agant pro pauperibus.  
pu-